

Tua reduxisti, quod semper debita gratitudine agnoscam. scripsisti adeo masculè et mature ac si esses senex sexagenarius, nullibi juvenis es, sed ubique maturus. At vero per meam vitam nullus liber me ita fecit inquietum videndi plura; nec possum desistere a libro, nec satiari. repono librum, recipio decies. Tu solus plures detexisti quam ullus alius. Si haberem ideam tuarum plantarum, crederem me novisse plurimas americanas.

Gentianam aphyllam, *Hapalanthum*, *Peplin* et eas quas citasti, optime perspicio et tamquam coram intueor.

Portulaca triangularis an calyx diphyllus? an fructus horizontaliter dehiscit, an 3 valvis?

Cleome spinosa an spinæ duæ ad exortum petiolorum tamquam 2 stipulæ rigidæ? talem vidi in Herbario Marcgrav. brasil.

Bombax quinatum et pentandrum, an utrumque aculeatum.

Multa hodie scriberem, sed in itinere constitutus Fahlunam per 14 dies debeo desistere. plura proxime.

Nescio quæ semina Tibi deficient. mitto raptim hodie quæ possum. Vale. Dab. Upsalæ 19. Decemb. 1760.

13.

Botanico Clarissimo DD. Nic. Jacquinio s. pl. d.

Car. Linnaeus Equ.

Datas d. 20 Januarii heri primum accepi, nec antea, quod valde miror.

Aloë afric. arborescent. apud Te floruisse laetor.

Ne credas me quidquam inserturum ex Tuis meo opusculo nisi honorifica Tua mentione facta, cum mihi hic mos nunquam fuit; minimeque erit, multo minus quamdiu ab inventore ipso non publico traditum est. Quod vero de Aloë